ORATIO
DE PEREGRI-
NATIONE ET EIVS
LAVDIBVS: CVM EX IN-

signi Argentoratensi quò antè missus fuerat in celeberrimam VVitebergensem Academiam venisset: in inclyto nationis Vngaricæ, Cœtu VVitebergæ

Scripta & habita

à

Michaële Forgacz, libero Barone in Gymes.

VVITEBERGÆ.
Typis Zachariæ Cratonis.
ANNO M. D. LXXXVII.

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

TEmpore ceu verno tellus redimita decoris
Floribus, egregios quâm latè ſpargit odores:
Forgaciæ ſtirpis generoſo ſanguine natus
Sic eſt in teneris primæ lanuginis annis
Michaël ornatus virtutibus, atq; perennis
Sic de ſe pulchrum diffundit laudis honorem.
Hinc quoq; nunc ſcriptis Suadelæ melle refertis,
Plurima commemorat peregrinæ commoda vitæ.
Hæc quicunq; leges, pia, dicas, ſcripta diſerti
Forgacidæ niveis exornet gloria pennis:
Aſt ubi poſt Muſas maiorum clara ſequetur
Facta, queat patriæ hic Heros prodeſſe ruenti:

Ioannes CZanadius.

ALIVD.

SItorpere gravi ſentis tua membra veterno
Si levibus mentem plus vigilare iocis.
Otia ſi capiunt, laſcivàq; gaudia, Lector,
Si Baccho & genio vis ſenuiſſe domi
Hoc lege quod claro de ſtemmate condidit Heros
Forgacides linguâ Tullius Hunnus, opus,
Diſpeream niſi te tantus trahat ardor eundi
In varium celſi clima plagamq; poli
Neritium ut cupias, Anchiſiadenq; relictos
Laude peregrinæ cognitionis humi,
Vnde tuæ veniat quæſita ſcientia menti
Per quam ſervari publica vita queat.

Et per quam patriæ possis prodesse ruenti
Pro qua turpe graves nolle subire vias.

Demetrius Kraccouius. T.

ALIVD.

VNde sibi laudem, nomencꝫ pararit Vlisses
Quæris? ad extremas iverat usqꝫ plagas
Viderat & varios mortales, viderat vrbes,
Vnde fuit vasto dignus in orbe cani.
Tu quocꝫ quisquis amas virtutem prendere clam
Dulichijꝫ exemplo regna remota petas (ram
Hoc tibi commendat genere & virtute celebris
Ecce Baro, expertus commoda multa viæ.
Hunc imitêre ducem, nisi vinci, Pannona pubes
Atqꝫ velis laudem prodere sponte tuam

Sigismundus Mariasi.

ALIVD.

IVquicunqꝫ cupis peregrinas visere terras,
Sedulus & Musis invigilare sacris
Nec scis quâ q uæqꝫ efficias ratione modocꝫ
Ignarumqꝫ viæ pectus habere vides.
Hæc, quæ Forgacij conscripsit Musa Baronis
Dulcisono calamo, perlege, doctus eris.
Nam quantum prosit longinquis vivere in oris
Hic benè præclaro tradidit ingenio

Sigismundus Peczius.

ORA-

ORATIO DE PEREGRINATIONE.

ETSI MINIME DEcere videtur, doctissime D. Senior, generose Baro, cæterique populares lectissimi & ob eruditam pietatem suspiciendi, de re graui dicere incipientem, timere, ne parem ad dicendum orationis facultatem adferre non possit: tamen rei, quam susceptam habeo, difficultas, ingenijꝫ mei exilitas vehementer animum meum solicitum habet, ne dum id quod tento non assequor, in impudentiæ crimen apud vos aut arrogantiæ incurram. Nam cum in hanc amplissimam omniꝫ laudis genere præstantissimam coronam, nihil nisi perfectum ingenio, & elaboratum industria, adferri debeat, ego quia & ingenio parúm, & industria non satis possum, summopere vereor, ne aut id quod assumsi, implere non possim, id quod est impudentiæ: aut laudi potius meæ velificari quàm justa de causa ad dicendum surrexisse videar, id quod est arrogantiæ. Verùm enimuerò in hac tanta difficultate duæ me res consolantur: tum vestra & in audiendo facilitas, & in ignoscendo lenitas: tum rei ipsius, et perutilis ad bene viuendum, & periocunda ad cognoscendum ratio: quarum illa ut benè de vobis sperem, facit: hæc verò etiam vt plane confidam. Nam cum estis vestra sponte ad audiendum parati: tum verò multo magis si res ea accesserit quæ & aures voluptate permulcere & animos vti-

litate commouere poßit, animo eſtis ad attendendum excitatiore. Quamuis autẽ ego, nihil aut mihi ſumere aut vobis pollicori vel de elegantia verborum, vel de momentis ſententiarum poſſim: tamen ea eſt rei ipſius quam tracto dignitas & amplitudo, vt ipſa pene per ſe vobis ſe commendatura, mihi verò rationes ſuppeditatura ſit, vt quod in me deſideratum fuerit abunde ipſa compleat. Quid enim in hoc tempore, rationibus veſtris aptius aut accommodatius eſſe poteſt, quàm, cum vos culturæ ingenij diſciplinarumq; liberalium cauſa longè à patria dulciſſima in hanc exteram regionem tot difficultatibus exhauſtis, tot ſumptibus factis commigraſtis, audire rationes, quibus & moleſtias, quas aut recordatio deſideriumq; patriæ fortè adfert aut inſolita nec antè vſurpata victus ratio injcit abſtergere, & inuidiam ac obtrectationem in quam nonnulli hoc nos tempore vocare videntur depellere poßitis. Quod ſi vel exiguam mihi breuis temporis vſuram conceſſeritis, efficiam profecto, vt & vos non operam ludere in peregrinando intelligatis, & aduerſarijs cauſam noſtram probem, vt aut manꝰ dare victi cogantur, aut certe à criminatione qua hactenus in nos ſunt vſi deſiſtant. Vt autem, populares doctiſſimi, & vos ſummã rei naturam q; de qua audituri eſtis, perſpectam habeatis, & ego quid mihi propoſitum ſit firmius memoria teneam: capita conſtituam, in quibus oratio verſari mea debeat, & cancellos limitesq; præfigam extra quos mihi egredi euagariq; non liceat. Ac primum commemorabo rationes quæ laudes peregrinationis contineant, quæq; eam & neceſſariam, & honeſtam, & vtilem, & jocundam confirment: deinde eos qui in hoc peregrinandi vitæ genere verſati ſunt, cum ijs, qui nusquam extra limites patrios pedem poſuerunt conferam: tùm denicq; quæ in contrariam partem ad vituperationem peregrinationis adferri poſſunt, proponam, eaq; repellere ac refellere conabor. De quibus vti me paucis diſſerentem placidè benigneq; audiatis, etiam atq; etiam à vobis peto. Neceſſariam eſſe peregrinationem dixi, vnde id conſtabit? vnde confirmabitur? Naturæ, magnæ illius parentis inſtituto ac legibus, quibus ita ſanxit ac conſtituit, vt quamuis homini totius vniuerſi domino, nulla certa patria, nec prædium, nec domicilium, neq; verò officina medica vel mechanica, quod Ariſton dicere ſolebat, tributa ſit: ſed inſtar plantæ cuiusdam cœleſtis capite tanquam radice cœlo infixus, pedibus veluti ramis hinc inde mobilis, vbiq; terrarum in patrio ſolo verè rectéque Philoſophando κοσμοπολίτης eſſe debeat: eidem tamen vel natiuæ vel ſaltem aduentitiæ vitioſitatis merito non omnis ferat omnia tellꝰ, neq; etiam ſuis opibus ita contentus viuere poßit quin alienis & ad viuendum & ad bene vivendum neceſſarijs indigeat. Quas proinde manibus adducere nequeat, pedibus vt conſectetur tum intelligendi tum agendi commoditates, lociq; per mutationem ſoli patrij inopiæ medeatur. Hæc lex eſt immutabilis naturæ, ſine qua non regnum, non regio, non vrbs, non domus denicq; vlla conſiſtere poteſt. Nam, quæſo, ſi negotiationes conquieſcant commercia ceſſent, & non vltro citroq; uariæ merces quibus hæc vita hominum ſuſtinetur, in omnes partes importentur & exportentur quid futurum putares? Exiguo

certè tempore exhaustis omnibus rebus omnia desolata & in vastitatem vocata videremus. Quod si hoc minus intelligitur, bellum ponite ob oculos, cum intercluſis itineribus negotiationes impediuntur & commeatus prohibentur, quanta omnium rerum inopia quanta difficultas consequatur, vt vna cum bello solitudo & egestas versari atq; bacchari videatur. Quid igitur peregrinatione magis est necessarium, sine qua inopem hanc vitam tueri atq; ducere non possumus, sed eius ope parabimus, quæ suppeditent & ad victum & ad cultum, nec nobis solum, sed coniugibus, liberis, cæterisq; quos charos habemus, tueriq; debemus? Quid verò honestius, per Deum, quàm ad normam primi illius status cursum vitæ dirigere, eamq; vitæ degendæ rationem in qua homines in primordijs rerũ versati sunt, sectari? Neq; enim quenquam esse puto, qui non eam maximè amplectendam vitæ degendæ rationem existimet, quæ in primis illis pubescentis mundi annis à maioribus vsurpata quam minima labe adspersa fuit, nec voluentibus annis defluente sensim de spacio curriculoq; sanctitate maiorum, tanta hominum colluuie aliquid maculæ & vitij concepit. Quod si autem replicatis prioribus seculis ad primordia rerum animos nostros retulerimus, primorumq; hominum statum expenderimus, nonne totam eorum vitam in peregrinando transactam atq; confectam reperiemus? Nam vbi, quæso, fixas Adam sedes habuit? quo certo in loco proxima eius posteritas stationem firmam collocauit? nonne subinde his relictis sedibus solum vertit, & sparsim hinc inde orbem peragrando tabernacula

cula potius quam domicilia erexit? Vt verò primum sese ædibus tectusq; homines receperunt societatemq; coëuntes in vnũ conferri & coalescere cœperunt, mox tanta se scelerum & flagitiorum vis effudit, tanta omnium cupiditatum flamma exarsit, vt diluvium tandem eos dissociare atq; ab inuicem distractos submergere cogeretur. Ita quantum boni in peregrinatione positum sit hinc maxime apparet, cum quantum mali domestica desidia in priori mundo apportarit, perpenditur. Nec verò minùs, postquam obrutis aquarum vi mortalibus, omniq; animantum genere eluuie pessundato, solo Noah cum suis superstite nouus quasi mundus emersit, hanc eandem in peregrinando positam vitæ rationem longa serie patres secuti sunt. Nam & ipse Noah vitam egit nulla certa sede fixam & vagabundam: & verò vbi rursus propagato hominum genere certis se sedibus mortales conclusêre, Deus ipse Abrahamum ex media superstitionum atq; impietatis sentina euocatum, in incognitas remotissimasq; terras migrare & peregrinationem suscipere jussit, qui etiam dicto audiens, derelictis laribus patrijs, totum vitæ curriculum varias regiones perlustrando in peregrinatione confecit, quem postea longo ordine posteri comitati, idem vitæ genus ingressi, suo nobis exemplo peregrinationem commendarunt. Dubitabimus ergo hanc vitam honestissimam dicere & ducere, quam tot summi homines, & tum primi hominum satores, tum religionis primi præcones sequendam sibi existimarunt? dubitabimus in eo versari vitæ genere, quod primi illius verè aurei seculi imaginem referre ac representare videtur? Quod sanè nobis commodius præstare licet:

re licet! quando illi, quorum à me nunc est facta mentio, solam sibi in peregrinando honestatem propositam habuerunt, omni jucunditatis fructu caruerunt, cum aut in vastis solitudinibus vagarentur, aut inter incultos adhuc et horridos homines versarentur, nos autem etiam adiuncta mille commoda & sociam delectationem habemus. Quid enim, obsecro, aut honestius, aut fructuosius, aut delectabilius magisq; homine dignum dici aut esse potest, quàm plurimos homines videre, eorum notitiam conciliare, ad familiaritatem eorum se applicare, in amicitiam deniq; intrare? Etenim cum sic comparatum naturâ esse videamus, vt bestias etiam ipsas beluasq; immanes naturæ inter se similitudo deuinciat atq; conciliet, vt semper requirant atq; appetant ad quas se applicent eiusdem generis feras, quanto magis homines qui ratione vtuntur, & ingeneratum præcipuum quendam amorem inuicem habent, aggregare se ad cæteros eiusdem generis debent, & acquirere alios cum quibus omnia communicent, sic loquantur vt secum, animosq; suos ita commisceant vt efficiant penè vnum ex pluribus? Quis autem non videt, quantæ & quàm insignes ex multorum initis amicitijs efflorescant vtilitates, & in eos redundent, qui eas solicitè sectantur atq; colunt? Si inopia consilij te suspensum & solicitum tenet, vt quam in partem inclines animo, ignores, præsto sunt amici, qui te confirment, certamq; viam demonstrent; si errore aliquo irretitus hæres, qui te expediât: si rebus secundis vteris, qui eas gratulando splendidiores faciant: si aduersis premeris, qui eas communicando condolendoq; leniant: deniq; quoquò te verteris præsto sunt amici, nullo loco excluduntur, nunq; intempestiui, nunq; molesti sunt,

sunt, vt non âqua, non igni, non aëre, (vt aiunt) pluribus in locis vtamur quã amicis. Quanta verò sit in amicis suauitas, quanta jucunditas, quid opus est vt longa exponam oratione? cum omnes vno quasi ore fateantur omnes veræ voluptatis fructus illam in se continere & sine ea vitã nullam esse. Hinc secundùm Ciceronem, Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua nihil à Deo immortali melius habemus, nihil jucundius. Sed quorsum hæc tam multa de amicitia? Quorsum? Horsum certè vt intelligamus tantò plus tribuendũ peregrinationi esse & maioribus in bonis numerãdam, quanto plus momenti, præsidij & ornamẽti in omnes vitæ partes amicitia effundit. Hæc enim nobis ad amicitias viam munit, hæc præit, hæc manibus quasi deducit: hac duce quærimus amicos et acquirimus. Enimuerò qui ignauiam ac socordiam suam parietum custodijs tegunt, inclusiq; tectis domesticis nunquam cõgressus exterorum hominum salutãt, quomodo conciliabunt amicitias? imó quomodo in coniũctionis humanæ societate se verè contineri dicent; dum relicto hominum consortio cum tectis & parietibus societatem colunt? Quid verò indignius, quid stultius, quid magis absurdum est: quàm vt opibus abundemus & copijs, equos parare generosos, vestes egregias, vasa preciosa, eaq; ex vltimis etiã pene nationib⁹. magno sumtu, magnisq; itinerib⁹ cõquirere ac cõparare: amicos nõ parare, pulcerrimã (vt ait Cicero) vitæ suppellectilẽ? Magna igitur habenda peregrinationi est gratia, magnisq; ea laudibus efferẽda, quod per eã assequimur vt præter domesticos, quibus cum nos incunabula potius et à primis annis inita consuetudo,

quam virtutis opinio & insignia quædam merita junxerunt, exterorum etiam longeq; dissitis regionibus versantium hominum non notitiam solum, sed societatem etiam amicitiæ & coniunctionis inire queamus. Quod si nulla amicitiarum ratio ad peregrinandi studiū commoueret, vel ipsum tamen commune societatis vinculum, quo constricti inuicem & colligati sumus, merito tantum pondus apud omnes obtinere deberet, ut peregrinandi studium amplecterentur, quò quibus illud membris contineatur & veluti nexibus cohæreat cognoscere possint. Nam si tantopere uenationibus delectamur, vt modò aliqua se nobis fera offerat, omnes latebras omniaq; latibula perscrutemur, multo certe magis opera danda erat, vt exteros ignotosq; homines in suis domicilijs requireremus, & ex eorum conspectu voluptatem caperemus, cum etiam ex immanissimæ beluæ aspectu, quæ terrori potius esse debebat, oculos pascamus. Sed quid ego de communibus his amicitijs. hominumq; visendorum studio tot verba facio? Nam possunt quidem hæ vulgares amicitiæ in omnibus vitæ partibus plurimum, & latissime patent: Sed tamen est alia quædam nobilior excellentiorq; amicitia, cuius causa suscepta peregrinatio omnibus veræ virtutis literarumq; studiosis non modo grata & jucunda, sed etiam cumprimis vtilis & necessaria videri debet. Quæ verò illa est? Ea sanè, quæ cum maximis clarissimisq; viris, quorum nominis fama atq; celebritas orbem pene terrarum repleuit, quorum præclara in omni genere doctrinæ monumenta in omnium manibus sunt, quorum denique eximia virtus, insignis eruditio, singularis autoritas in oculis omnium feruntur, talibus inquam initur atq; contrahitur, qua quid præstantius, quid optabilius? quid deniq; ad omnes rationes consultius? Etenim si monumenta literarum quæ in lucem proferunt, tanto in precio habemus, tantamq; ex ijs cum voluptatem tum etiam vtilitatem capimus, quanto magis ex oculabimur si ora eorum vultusq; cernere, frequenter viuam eorum vocem haurire & in sinu quasi eorum recumbere nobis contingat? Quemadmodum enim flores tum ad medelam corporis saluberrimos, tum ad fragrantiam odoris suauissimos, tum ad elegantiam coloris nitidissimos suauius in hortis ipsis virentes, floridosq; sensus nostri intuentur, quam si ijdem euulsi atq; execti offerantur: Ita animus noster longe maiori cum voluptate afficitur, si comminus eorum ora vultusq; adspiciat, quorum imaginem, admiratione virtutis, ex monumentis eorum conceptam, circumgestat, quam si nudos characteres eorum manibus impressos cernat, mortuamq; veluti vocem audiat. Illud verò, Deum immortalem, quantum est, quod ex talium virorum consuetudine proficiscī & ad cultum animi redundare Seneca testatur: Nulla res magis, inquit, honesta induit, dubiosq; & in prauum inclinatos reuocat ad rectum quam bonorum doctorumq; virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet frequenter audiri atq; aspici: Est etiam aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias: Tacente, inquit, quanto igitur magis loquente, docente, monente, & quidem grauiter, gnauiter & fideliter? Cum autem peregrinatio sit, quæ nos in huiusmodi virorum notitiam & familiaritatem deducat, dici

Bonorum doctorumq; virorum Conuersatio lis &c hom

certè non potest, quantæ vtilitates ex peregrinatione efflores-
cant, quanti fructus exsurgãt. Sapientiam et Doctrinam omni
bus rebus humanis anteponendam esse omnes uno ore fatentur:
quarum illam non immeritó μόνην τῶν κτημάτων ἀθάνατον Isocrates;
hanc verò Plutarchus τῶν ἐν ὑμῖν ἀγαθῶν μόνον εἶναι θεῖον te-
statur. Nunc si ego planum faciam vtraq; hæc, peregri-
natione apprehendi ac comparari, nunquid obstabit, cur non
eam summo in loco positam omnibus rebus anteferamus, maxi-
meq; præ cæteris colam, et amplectamur? Ac vt de doctrina pri
mum dicamus, omnibus liquere puto, duos esse quasi fontes ex
quibus omnis doctrina emanet atq; procedat: Lectionẽ bonorũ
autorum, et Auditionem doctorum, (nam cætera omnia in his
versantur) et illam quidem ex libris, hanc vero ex ore docenti-
um proficisci. Cum autem vt variæ merces in varias orbis par-
tes distractæ, sic homines literati ipsæq; cum illis literæ per totũ
hoc vniuersum disseminatæ sint, dubium certe relinquitur nemi-
ni, quin vt quisq; plurimas obierit et perlustrãrit regiones ita et
amplissimam librorum suppelectilẽ, parare, et in doctissimorum
virorum frequentia versari possit, ex quibus omnes thesau-
ros eruditionis et doctrinæ petendos et hauriendos esse supra o-
stendimus. Enimuero vt nulla tam fertilis vnquam et locuples
est regio, quæ ita omnium rerum copia diffluat, ut non ex alijs
quoq; merces aduehat, quibus earum rerum defectum quæ non
suppetunt expleat: ita nulla est tam exculta et dedita bonis lite-
ris natio, quæ vno tempore præstantes in omni doctrinarũ bo-
narumq; artiũ genere viros alat, sed semp inæquabili varietate
commutatis vicibus, diuersisq; temporibus iam hic iam illic cla-
rissimi

rissimi quiq; viri florent, qui tum longe lateq; nomen suum dif-
fundunt, tum ex longe lateq; dissitis regionibus homines euo-
cant et ad se trahunt. Sic Homer⁹ inter græcos iu poësi emicu-
it, cum Romani Virgilio suo adhuc carerent. Sic Demostenes
in dicẽdi facultate claruit, cum nõdum nomẽ Ciceronis auditum
esset. Sic hac ipsa memoria nostra habet Germania cõplures præ
cellentissimos viros: habet: sed habet et Italia suos qui in quib⁹-
dã antecedunt: Habet et Gallia, et Hispania habet suos, quos
proprios sibi vendicat, quorum gloriã suam ducit, nec alys cõ-
municat. Cũ itaq; non vni et certo loco alligati præstantes viri
sed laté in oñes orbis partes diffusi sint, ꝑegrinatio adhibẽda est
quæ nos ad illos deducat atq; deportet. Etsi autẽ viri docti &
boni thesaurum apud se depositum non recondunt, sed editis in
lucem præclaris monumentis expromunt, inq; rem literariã cõ-
ferunt, ex quib⁹ hauriri cognitio literarum non min⁹ ac si ipsos
loquentes audias, posse videtur: tamen nec tantam vim habet
mutorũ characterum lectio, quãtam viuæ vocis ꝑceptio, quæ
in ipsa præcordia inuadens aculeos animis audientium infigit,
ac penitus in venis visceribusq; inclusa hæret atq; residet.
Quò Socrates etiam digitum intendisse videtur, cum dixit:
τοῦ σοφοῦ σώματος ἀνοιχθέντος καθάπερ ἱεροῦ τὰ τῆς ψυχῆς κατιβλέπεται
ὥσπερ ἀγάλματα: præclarè virum sapientem templo comparans,
qui simulachra virtutis atque doctrinæ in animo non se-
cus ac in sacrario inclusa oratione proferat, contemplan-
daque præbeat: Nec verò vbique vtiles ac necessarij libri
obuij sunt, multiq; bonæ indolis studiosi ijs destituun-
tur, dum ne ad hunc præclarum mercatum librorum perue-
niant,

niant, fortunarum angustia impediuntur Etenim plurimæ sunt regiones quæ vel præstãtibus in bonarum artium studio viris destituuntur, vel inopia librorum laborant vbi certe præclare cum ijs agitur, quibus peregrinationem suscipere, exterasq; gentes tum doctissimorum virorum tum præstantissimorum abundantes copia librorum lustrare integrum est. Quis igitur nisi planè auersus à vero, nisi prorsus βιβάρβαρος non diuinis quibusdam laudibus efferendam peregrinationem putet? non sibi persequendam existimet? quæ fontes omnis doctrinæ aperiens, & campos disciplinarum patefaciens, viam expeditissimam monstrat, quam ingressi, animos omni politioris literaturæ cultu exornare, ingenyq; dotes accumulare possimus. Mercatores videmꝰ corradendarum fluxarum harum & caducarum opum causa, nihil sibi ad diurnos nocturnosq; labores reliqui facere, sed per medias mortes terram mareq; pererrare ac peruagare: nos autem animi excolendi & locupletandi gratia longissimas peregrinationes reformidabimus? exire in remotissimas terras detrectabimus? Qua de re Isocrates ad Demonicũ scribens non minus grauiter quàm eleganter admonet: μὴ καλόκαγ, ait ille, μακρὰν ὁδὸν πορέυεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. Διαχρῆν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαύτας πελάγη διαπερᾶν, ἕνεκα τοῦ πλείω ποιήσασθαι τῶν ὑπαρχόντων, οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μηδετέρας μὲν τῶν πορείας ὑπομένειν, ἐπὶ τῷ βελτίω μὲν εἶναι τῶν ἑαυτοῦ διάνοιαν. Et vero quem vnquam legimus omnibus veterum reuolutis monumentis, quem accepimus omni antiquitatis memoria replicata, quẽ omni etiam ætate nostra considerata vidimus aut audiuimus domi hærentem ac delitescentem, nec vnquam extra limites patrios pedem efferentem, arcem doctrinæ inuasisse, coronamq; eruditi

eruditionis adeptum fuisse? Quis autem non videt sapientiam prudentiamq; peregrinatione effici ac comparari? Cum enim duo sint nobis à natura rerum cognoscendarum dijudicandarumq; tributa κριτήρια: Sensus tempore, Ratio dignitate & certitudine prior (vnde illud quod in triuio jactatur dicterium: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu) fit, vt quo quisq; plurima vidit & audiuit (hi enim sensus inter cæteros principatum tenent) eó plura in rationis complexũ cõportet rerũq; maiorẽ experientiam acquirat, ex qua veluti radice perspicientia veri solertiaq; (quam eandem sapientiam nominant) exurgit atq; efflorescit. Id quod acutè sanè & solerter (vt omnia) Aristoteles affirmat, dum sic Metaph. 1. scribit. ἡμῖν δοκεῖ ὀχεδὸν ἐπιστήμη καὶ τέχνη ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμην καὶ τέχνην διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ανθρώποις. ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ πῶλος, ἡ δ' ἀπειρία τύχην. γίνεται δὲ τέχνη ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοήμάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. Sensus enim tanq; communes ministri quicquid eis oblatum obiectumq; fuerit arripiunt atq; ad animum deferunt, qui id excipiens viq; sua & acie examinans atque reputans in sinu suo tanquam in penu recondit, vnde vicissim cum opus sit depromat, cæterisq; similibus applicet, quorum rationes & causas scrutatur et inuestigat, donec tandem in omnibus & accutissimé & celerrimè possit & videre & explicare rationem: quod qui est assecutus, is prudentissimus & sapientissimus (vt ait Cicero) rite haberi solet. Quia verò in peregrinatione plurimarum rerum tum occultarum tum admirabilium varietas sese nobis offert, in quibus animus noster se exerceat, & ex quibus experientia comparetur, constat profecto peregrinati-

grinationem quàm plurimum ad consequendam sapientiam prudentiamq́ momenti adferre, atq́ adeò eius γενούσην seu matrem existere. Porro si quis fortè sit tanta immanitate naturæ, vt eum non amicitiarum præsidia, non familiaritates bonorum, non consortia doctorum, non doctrinæ cupiditas, non deniq́ sapientiæ studium moueat & ad peregrinandum impellat, quis non, nisi omnem ex eius animo extirpatam humanitatem velimus, clarissimi huius & amplissimi orbis terrarum domicilij, theatri omni ornatu splendidissimi, machinæ omnibus numeris absolutissimæ circumspiciendæ & perlustrandæ desiderio tangatur? Etenim si rei suæ bene gerentis atq́ prouidi patrisfamiliâs est, omnes domus suæ partes non modo bene descriptas habere, sed easdem etiam crebró perlustrare, quid quibusq́ locis repositum sit, quid vbiq́ agatur inspicere: ignaui autem & desidis omnem administrationem ac procurationem seruorum fidei committere, ipsumq́ delitescentem ab eorum verbis pendere: hominis certe etiam (cui Deꝰ Opt: Max. hoc pulcherrimũ domiciliũ veluti domino attribuit) erit magnanimi atq́ generosi eius si non omnes at quàm plurimas partes obire, earum descriptionẽ non ex geographorum cosmographorumq́ libris petere, sed oculis ipsis fidissimis custodibus mãdare ac subijcere. Siquidem, vt ait Poëta:

Segnius irritant animos ~~quæ sunt~~ demissa per aurem;

Quã quæ sunt oculis cõmissa fidelibus: vt contra humilis atq́ deiecti suam fidem in aliena constrictam atq́ conclusam habere, ipsum non pedem commouere vt huius sui domicilij structuram intueatur. Quis verò est ita ferreus, aut tam aspero incultoq́ ingenio præditus, qui non tot splendissimarum vrbium, situ, amplitudine, constitutionibus, cæremonijs, ædium descriptione, ciuium moribꝰ, cultu ac vestitu, aut in aspectu lætetur aut in recordatione oblectetur? qui non tot pulcherrimarũ rerum varietate quas humana industria solertiaq́ effingit tum sensus voluptate perfundat, tum animum suauissimè afficiat? Quo innuens Strabo præclarè sané inquit: ἐν μεγάλῳ τίθεται, πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄσεα καὶ νόον γνῶναι. Sed num id agimus vt destituti clarissimorum fortissimorumq́ virorum exemplis nouo modo & insolito commendare peregrinationis studium aut inducere velimus? Minimè verò. Etenim si historias intueri & euoluere velimus, quotquot magnis rebus gestis claros, summis insignibus gloriæ ornatos legimus, omnes extra fines patrios progressos in exteris nationibus virtutis suæ documenta dedisse, & in varijs orbis terrarum partibus eorum industriam versatam fuisse reperiemus, vt illud Plutarchi verissimum comperiamus. οἱ δοκιμώτατοι καὶ κράτιστοι ζῶσιν ἐπὶ ξένοις. Nam quid ego Herculem in medium proferam, quem propter emensum infinitis pene itineribus orbem terrarum, Poëtæ ad Styga ipsa Ditisque domos penetrasse finxerunt? quid Alexandrum illum Magnum memorem, quem quod ipse etiam hic domitus ab eo orbis iam pene non caperet, celsitudinem cœli, altitudinemq́ maris mensum esse opinio confirmauit? quid Pompeium eodem nomine Magnum producam, cuius res gestas ijsdem quibus Solis cursus

120

regionibus ac terminis contineri Cicero testatur? quid C. Iulium Cæsarem in memoriam reuocem, quem gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas domuisse, & disiunctissimas terras non solum cursibus sed etiam victoriis illustrasse idem affirmat? Hi & horum similes alij viri illustres, de quorum laudibus nulla ætas conticesceret, si inclusi atq; abditi latuissent in occulto, si virtutem suam tenebrarum ac parietum custodijs texissent, si non se in lucem atq; oculos orbis terrarum protulissent, si non tot terras nationesq; vidissent, nunquam certe in tam excelsum gloriæ atq; dignitatis gradum emersissent. Non enim virtus nisi amplissimus campus detur, excurrere potest. Sit itaq; in summa laude hoc etiam nomine peregrinatio, quæ nos in altissimo gradu dignitatis locare potest, sempiternamq; nominis nostri memoriam animis hominum infigere longeq; in posteritatem transmittere. Denuq; cum omnia hæc inferiora ad superioris illius omnium bonorum, pulchrorum, verorum (vt recte Plato pieq; voluit) fontis inexhausti contemplationem sint referenda, hic vel maximus peregrinationis fructus est, vt cum tam admirabilia in hac terrestri peregrinatione conspicimus in suis hæc ipsa ideis conspiciendi desiderio accendamur, cum hic omnia velut in speculo, relucente quadam vmbra splendoris illius illustrissimi qui est in cœlestibus obscurè intueamur, perspicuè demum ea, cõpage hac corporis soluti in futura vita vt sunt, contẽplaturi. Vanitatem autem rerum humanarum & instabilitatem considerantes in toto hoc vniuersi ambitu, à terrenis animum abducere, & ad cœlestia aspirare discamus. Ordinem vero hunc pulcher-

pulcherrimum, continuamq; seriem perpetuo nexu cohærentem spectantes Deum esse agnoscamus, qui mortalia curet, eiusq; prouidentia in omnes etiam minutissimas res excubet atq; se diffundat, pro qua eius maiestati ex imo pectore profectas devota mente gratias persoluamus. Quid igitur peregrinatione aut magis necessarium? quæ vitam sustentat: aut honestius? quæ primi illius ævi formam repræsentat: aut vtilius? quæ amicitias conciliat, doctrina imbuit, sapientia informat: aut jucundius? quæ pulcherrimam hanc mundi structuram ob oculos proponit: aut illustrius? quæ tot clarissimorum virorum vestigia sequitur: aut diuinius? quæ nos ad contemtum humanarum rerum reuocat, & ad diuinarum contemplationem atq; admirationem mentes attollit. Cognitis verò iam perspectisq; his tot & tantis virtutibus atq; encomijs peregrinationis, facile cuiq; manifestum esse potest (in hoc enim altera orationis nostræ pars versatur) quantum ij qui sedibus patrijs egressi in peregrinando vitam agunt, ijs præstent, qui non extra limites patrios pedem efferentes, domestico ocio torpent, lucemq; orbis terrarum fugiunt, vt nihil sibi præ illis ad similitudinem hominis præter formam reseruasse videantur: Illi n. ad normam juris naturæ se reijcientes ipsi acquirunt, quorum in vita usus sit, domesticarumq; rerum difficultatem exterarum abundantia subleuant: hi naturæ quasi legibus excussis ipsi ignauo ocio domi delitescunt, aliorum labores & beneficia deuorant. Illi primorum eorumq; sanctissimorum patrum insistentes vestigijs purissimam illam primi ævi vitæ degendæ rationem sectantur: hi ab ijs desciscentes latibula latebrasq;

intra clauſtra parietum quærunt, quò tutius & fœdius interdū remotis arbitris in ſolitudine verſari flagitiosè poſſint. Vnde certè alia laus peregrinationis non vltima emergit quod auocat nos atq; abſtrahit ab otio, quod ad irretiendos illecebris cupiditatum homines facem præfert, et omnibus ſceleribus domicilium adeoq; puluinar, in quo recumbant, præbet. Illi vinculo ſocietatis humanæ copulati hominū cōſortio lætantur: ijsq; ſe applicant propiusq; admouent: hi rupto quaſi coniunctionis fœdere eos auerſantur, & turpiter ſeſe ab eorum conſuetudine longé remouent. Illi amicitijs florent: hi ab omnibus deſerti atq; derelicti ſunt. Illi ad magnorum ſe clariſſimorumq; virorum familiaritatem aggregant: hi cum muribus domeſticis, ruſticis corydonibus vitæ commercium habent. Illi honeſtiore cultura ingenij liberaliq; bonarum artium diſciplina animos imbuunt atque exornant: hi neglecto animi cultu viles & inculti cadauer hoc vermibus deuorandum ſaginant. Illi rerum tum variarum tum admirabilium contemplatione & experientia, animi judicium exacuunt, illamque dominam rerum ſapientiam comparant: hi inerti deſidia in perpetuis ignorationis tenebris verſantes acumen judicij hebeſcere ſinunt, & rationem qua nihil præſtabilius homini eſt à natura tributum, turpiter negligunt, & in res viliſſimas abijciunt. Illi ameniſſimum ampliſſimumque hoc mundi theatrum contemplantes tum voluptatem maximam animo ſimul & corpore percipiunt, tum verò mentes ſurſum ad cœleſtis domicilij contemplationem erigunt eiusq; deſiderio flagrant, hi veluti ſues in ſolito antro cubantes

nec

nec quod eos delectet, habent, & perpetuo in his terrenis fixas cogitationes habent, nec altiùs animo exurgere poſſunt, vt eos cœleſtis illius beatitudinis meditatio ac cura tangat: cum nihil vnde vel humanarum rerum vanitatem vel diuinarum maieſtatem perſpiciant, habent. Illi res magnas gerunt, nomēq; poſteritati illuſtre relinquunt: hi ſomno ventriq; dediti vitam in ſilentio tranſigunt, ſimulq; nomen omne cum vita finiunt atq; deponunt. Illi omnia norunt, fluxa contemnunt: hi omnia ignorant, caduca ſuſpiciunt. Illi quocunq; venerint, liberé inter homines et audacter verſantur, ad eorum ſe mores applicant, & ex eorum inſtituto viuunt: hi ſi in lucem, hominumq; peregrinorū congreſſū prodeunt, ceu feræ nuper in caueam incluſæ ad eorum conſpectum horrent atq; trepidant, mores eorum & conſuetudinem ignorant, ſuis agreſtibus vtuntur. Deniq; (vt paucis omnia complectar) illi induſtrij, hi ignaui: illi generoſi, hi degeneres: illi gratioſi, hi inuiſi: illi docti, hi rudes: illi ſapientes, hi ſtolidi: illi periti, hi inertes: illi illuſtres, hi obſcuri: illi diuini, hi abiecti ſunt. Exactæ ſunt, Cœtus ſanctiſſime, partes orationis duæ, reſtat tertia, in qua mihi in certamen deſcendendum erit, telaq; comparata ab aduerſarijs quibus vulnus facere peregrinationi conantur, reijcienda erunt ac repellenda. Quatuor .n. potiſſimùm reperio criminationes, quibus antagoniſtæ lacerare peregrinationem & in inuidiam vocare nituntur: vnam quod abſtrahat è ſinu patriæ, & à conſuetudine domeſticorum repellat: alteram quod multis grauibusq; periculis & moleſtijs expoſita ſit: tertiam quod prauos peregrinorum mores concipiat, atq; reportet: quartam quod à

cultu diuino arceat. Harum si placet, criminationum, quantum quæque valeat quamq; iusta sit, age dispiciamus. Abstrahit à sinu patriæ peregrinatio. Quæ est hæc à patria? Num exigua illa terræ portio quæ nos excepit, fouit, aluit? At excepit etiam sæpé hospes aliquis aut caupo, fouit olim gerula ac nutrix, alunt quotidie pecudes, arbores, segetes. Nimium igitur exiliter illi exiguis quibusdam terminis patriam includunt, qui eam ad minutam soli particulam alligant, fluminibus cingunt, montibus claudunt. Vnde Plutarchus admodum grauiter & eleganter inquit: ἡ μὲν φύσις ἐλευθέρους ἡμᾶς καὶ λελυμένους ἀφίησιν, αὐτοὶ δὲ ἡμεῖς σαυδέομεν ἑαυτοὺς καὶ στενοχωρούμεν. Nō hæc igitur est patria, non. Vniuersus hic totius orbis complexus patria est, quicquid sub hoc cœli fornice continetur, quicquid hæc terræ pila ambitu suo complectitur, quicquid maris hic circulus ambit, quacunq; homines sunt cœlesti illo semine oriundi, patria est, & vt Euripides eleganter inquit: ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βοσκοῦσα γῆ. Egregié Socrates cuidam interroganti, cuiatem se ferret; mundanum, respondit. Magnus enim erectusq; animus non includit se istis ab opinione terminis, sed cogitatione & sensu totum hoc vniuersum complectitur, vt suum. Etenim si fides habeatur Mathematicis, qui centro cœli totum hunc terræ globum definiunt, quantulum discesserimus, si vel maximè peragrando totum orbem obiuerimus? idem enim nos cœlum tegit, eodem etiam interuallo à nobis distabit, vnde non erit verendum, ne si in exteris oris ad exitum vitæ vocati fuerimus à cœli foribus excludamur: De quo elegans habetur distichon Theodori Bezæ.

Cœ-

Cœlum si versus tendis, quocunq; recedes,
Hinc spacio cœlum distat & inde pari.

At enim longa serie parentes, cognati, amici, sodales deserendi sunt, quibus cum vel pietas te, vel natura, vel beneuolentia, vel communia studia coniunxerunt, hos omnes, inquam, eripit atq; aufert ex oculis peregrinatio. Ex oculis saltem, at non ex animo. Hærent enim in fixæ animis veri amoris radices, inq; ipsis præcordijs resident, nullaq; longinquitate aut loci aut temporis euelli possunt: hunc amoris sensum non aufert peregrinatio, sed auget, illud vero quantulum est quod è conspectu ac vultu subducat? Non enim in oculis verus amor situs est, qui sæpè fallunt, & quibus æquis sæpè animus toruus est, sed in animo fixas sedes verus amor habet. Laudetur ergo potius pereginatio, quæ velum ficti amoris aufert, sinceri verò scrinia & penetralia aperit. Quod si largiamur, peregrinationem, exili hac quæ ex aspectu charissimorum percipitur voluptate priuare, priuat pro consequēda maiore. Etenim ponite ob oculos, si quis relictis laribus domesticis, parentibus ac familiaribus, in longinquas & remotas terras studiorum gratiá proficiscitur, vbi bonis artibus animum adornauerit moresq; elegantes imbiberit, quanta cum voluptate domum reuersus à domesticis excipitur, salutatur, inuitatur, in manibus deniq; gestatur & in oculis fertur. Et, obsecro, quæ amentia est, patriæ saluti fauere, & vt eidem emolumento esse possis, non in exteris regionibus suppellectilem doctrinæ & præsidia virtutis ac sapientiæ acquirere: parentum flagrare amore, & vt eisdem ornamento in honoribus, adiumento in periculis, solatio in laboribus esse queas, non potius ab eorum ad tempus oculis longius con-

D cedere,

tedere, quàm perpetuò rudem & ignauum eorum ora vultusq; contueri: amicorum studiosum atq; colentem esse, & vt eos acquiras tibiq; beneuolentiæ coniunctione copules non vel in vltimas terras exire. At interim parentes, amici, fatis concedunt. Bone vir, quid de hoc quereris? tute ipse gladium ad te jugulandum offers. Fatis enim concedunt, quæ certè præsentia tua flecti non potuissent. Nihil itaq; agunt, qui hoc nomine peregrinationem incusant, quòd abstrahat ex sinu patriæ & oculis domestico-rum, cum id vitio dant, quod in laude poni debebat. At enim, insurgunt secundo loco, plena sollicitudinis ac stomachi, plena periculi ac laboris hæc in peregrinando posita vitæ ratio, multæ molestiæ perpetiendæ, multæ difficultates exsorbendæ, multum sæpè vigilandum, laborandum, viuendum ad arbitrium aliorum non suum. Vt ego primum hoc non inficier, quæro quod vitæ genus mihi ostendas, extra omnes positum difficultates & molestias, expers laboris, immune periculi, eadem semper æquabilitate fluens, nunquam malis conflictans. Taces? si ergo nullum reperis, cur id potißimum vni asscribis, quod commune est multorum, imò omnium? Deinde vt multa sint in peregrinatione plena molestiæ, plena laboris, multa tamen etiam sunt, imò plurima plena voluptatis, plena lætitiæ. Vt enim nunq; fere ita serena cœlifacies apparet quin aliqua nubecula aspersa sit: sic nulla peregrinatio ita jucunda existit quin adiunctas quasdã difficultates habeat: Verùm vt exigua illa nubecula Solis splendorẽ minime occupat, et obfuscat, sed ab eius potius feruore dißipatur ac dissoluitur: ita etiam illæ difficultates non omnem peregrinationis fructum voluptatisq; sensum auferunt, sed à plurimis & maximis jucunditatibus fructibusq; qui ex peregrinatione percipiuntur, absorbentur atq; absterguntur. Quód si idcirco fugienda aut vituperanda est peregrinatio, quòd exposita laboribus & periculis sit, fugiamus virtutem, vituperemus religionem, quid enim virtute laborioßius? quid odioßius & infestius religione? Sin autem non tantum nonvlla difficultas aut periculi metus nos ab ijs deterret, sed multo etiam acriori studio ad ea contendimus, certè nec à peregrinandi studio, leviculæ istæ molestiæ nos auocabunt. Nam certè ita in rebus humanis comparatum videmus, vt quò quid præstantius præclariusq; est, eò abstrußiori & difficiliori loco positum atq; collocatum, & quò quid abiectius ac vilius, hoc magis obuium & patens sit; vnde illud græcorum vulgare prouerbium: δύσκολα τὰ καλά. Nihil itaq; nos moueat, si molestiæ aliquæ et difficultates subeundæ nobis in peregrinatione sunt, sed illas potius secuturæ vtilitatis jucunditatisq; spe leniamus atq; molliamus. Quod si etiam aduersus aliquis casus ingruat minimé abijciemus animum, sed homines nos esse recordabimur ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra. Nihil enim (secundum Ciceronem) est, quod ita frangat ac molliat ægritudinem quám perpetua in rebus humanis cogitatio, nihil esse quod accidere non posßit. Ex quo certè fiet, vt quemadmodum grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dißilit: sic aduersa in nostrum animum si incidant frangantur non frangant. Quid si verò etiam celebre nomen sempiternamq; memoriam hi exhausti peregrinationis labores & exsorbtæ difficultates conciliant?

Exemplo simulq; argumento est Vlysses, quod mores hominum latè prospexit et vrbes, πολιτροπος *ab Homero appellatur, hic si semper secunda velificatione vsus, non Scyllam non Syrenes præteruectus, non tot in periculis versatus fuisset, nunq; certe Odyssea prodyssent, quæ eiꝰ viri laudes decantarent, perpetuamq; nominis eius memoriam in omnem posteritatem deriuarent: Quid si etiam maximam voluptatem adferunt hi in peregrinando perpessi dolores, & superata pericula? Quis.n. non suauissimè afficitur, quoties in memoriam reuocat, quibꝰ jactatꝰ periculis, casibusq; fuerit, & quemadmodum ex ys emerserit, quo pacto conseruatus fuerit, quam certè voluptatem ipsi natiuitatis bono Cicero anteponit, dum sic in tertia Catilinaria loquitur. Nõ minus nobis jucundi atq; illustres sunt ij dies, quibꝰ conseruamur, quàm ij quibus nascimur, quòd salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio, & quòd sine sensu nascimur, cum voluptate cõseruamur. Vnde etiam alio loco dicit: Habet præteriti doloris securа recordatio delectationem. Quid si vero etiam hæ molestiæ et calamitates peregrinationis, ad pietatis officia mentes nostras reuocant, & ad gratias diuino nomini agendas excitant? Nã certé quoties subit animum nostrum recordatio, cum in extremum pene discrimen adducta vita nostra videretur, nec quicquam humani auxilij ac præsidij supesse, quám admirabili numinis prouidentia ex ipsis pene faucibus fati erepti sumus, vt oculis ipsis opem nobis diuinitus latam cerneremus; protinus certè animi nostri ad laudes diuinas exsurgunt, ad gratias agẽdas exardescunt, ad verum pietatis cultum reuocantur. Et, me Christe, illi solùm qui in insigni aliquo periculo constituti fuerant illud Philonis verum*

esse

esse comperiunt: Vbi desinit humanum præsidium, ibi incipit diuinum auxilium. Nam quibus semper omnia ad numerum et ex animi sententia procedunt, quibus omnia ad voluntatem affluunt, vix certè numen aliquod prouidens rerum humanarũ & curans agnoscere possunt, cuius nunquam manum experti sunt, nunq; auxilium præsens senserunt. Huic igitur maledicto nihil idcirco in hac re loci est, quod omnia laus occupauit. Sed, pugnãt tertió, sæpè ex peregrinatione prauos & contaminatos mores concipi, sæpè etiam flagitia domum reportari; sed quid in crimen vocent, non vident. Nam si id culpa peregrinationis accideret, eadem certe omnibus vsu venirẽt, quod tamen est secus. Multos.n. probatis moribꝰ eximiaq; doctrina præditos ex pegrinatione ct reuertisse & adhuc reuerti tum vidimus, tum videmus. Sed omnis huius querelæ in moribꝰ culpa est, non in peregrinatione. Etenim pegrinatio naturà bona, in medio quasi collocata tũ d bonis tùm ab impbis vsurpatur, ab illis quidẽ ad emolumentũ & fructum, ab his ad suam pesem ac perniciem. Latet enim in peregrinantium animis illa scaturigo & radix, quæ liberum peregrinationis campum adepta sensim emergit, ac postea latissimẽ se spargit atq; diffundit vel in riuos virtutis vel in cœnum vitiorum. At clamitant, peregrinantium praui mores imbibuntur: Quid ita? quia animus prauus: Cur enim potius praui & contaminati quàm recti & honesti imbibuntur & concipiuntur. Sua vitia insipientes & suam culpam in peregrinationem transferunt. Nisi enim iam prius infectus animus labe vitij fuisset, nunquam certé prauos potius mores arriperet, quam rectos amplecteretur. Quamobrem araneã illi imitantur, quæ succũ etiam saluberrimarum herba-

rum in

rum in virus ſuum conuertit: Qui vero pegrinatione rectè & ad ſuum commodum ac laudē vti volunt apiculæ exemplum ſequā-tur, vt omnia quidem explorent, at optima quæq; deligant, de quo pulcherrimè ſanè Iſocrates & grauiſsimè admonet: ὥσπερ γάρ, inquit, τὰ μέλιτται ὁρῶμεν ἐφ' ἅπαντα μὲν τὰ βλαστήματα καθιζάνουσαι, ἀφ' ἑκάστου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσαι: οὕτω χρὴ καὶ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μὴ δεινὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν. Quod cum in omnibus tum maximè in peregrinatione obſeruandum diligenter eſt. Quarta reſtat criminatio quæ maxime grauare peregrinationem videtur: Dicunt etenim, cultum Dei ſartum tectum in peregrinatione conſeruari non poſſe, quia nimirum non omnibus in locis puritas religionis vigeat, in pluribus verò etiā omne exercitiū & profeſsio interdicta ſit. Homines miſeros, qui hac ratione conuellere peregrinationis ſtudium conantur. Itané eis tantum ab re ſua non erat ocij vt ſacras literas ſpicerent, hiſtoriāq; ſanctiſsimorum Patriarcharum percurrerent? quorum certè omnem curſum vitæ in exteris terris & peregrinus tranſactum fuiſſe illæ memorant. An veró Abrahamus in terra Chanaan peregrinus diuino cultui vacare non potuit? An Iacobus in Meſopotamia non ſolum peregrinus ſed etiam fugitiuus & ſeruus præſtare cultum diuinum non potuit? An Ioſephus in Ægypto tum captiuus, tum in altiſsimo dignitatis gradu conſtitutus, exhibere eundē non potuit? An Daniel in Aſſyriam translatus prophanus omni cultu diuino neglecto vixit? Aut ergo hos prophanitatis arguāt, aut ſi id fas eſſe non putant, deſinant cultum Dei peregrinationi detrahere, qui niſi à peregrinantibus deuotè ac reuerenter obſeruetur, totam peregrinationem infelicem ac miſeram eſſe oportet. Fateor quidem, non inuitus, non vbiq; eandem religionis puritatem

tem fulgere, & eſſe vbi libera ei profeſsio et exercitium interdictū ſit: illud nihilominꝰ nec ubiq; fit, et exercitiū ſolū tollit nō fundamētum, quod firmiter in cordibꝰ infixū nulla vis cōuellere aut pfringere poteſt. Cōſcientiā modò noſtrā purā et incōtaminatam retineamꝰ, ſatis Deo cauſam noſtrā fidēq; probauerimꝰ: et ſi in ea loca aliquādo deueniamꝰ, vbi aut cōtaminata ſuperſtitio aut manifeſta impietatis peſtis graſſatur, magis magisq; in certitudine fidei noſtræ corroborati, eorū impuritatē deteſtemur, alioq; cōcedamꝰ, ubi purior doctrinæ fax ſplēdeſcat. Nūc quoniā emerſiſſe iam è fluctibꝰ et ſcopulos pteruecta videtur oratio mea, pfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur, & velut ex longa jactatione terram video, in quam egreſſa oratio mea conquieſcat. Nam quod de ſumptuum magnitudine quidam adferunt qui in peregrinatione faciendi ſunt, nihil adferunt. Quid enim aurum aliud eſt, ſi legitimum eius vſum tollas, quàm lutum reſplendens? cum autem nihil peregrinatione præſtantius eſſe demonſtratum ſit, in nullam certe rem aliam quàm in hanc ipſam is dignius conferri poterit. Dicta eſt à me, laus peregrinationis, & perorata, videtis quātum ea in ſe boni contineat, quàm latè pateat, quàm vberes & ſalutares riuos in omnes vitæ partes diffundat. Eam neceſſariā eſſe dixi, quòd ad parandas opes & copias ſit à natura tributa, ſine qua vix ac ne vix quidem hæc vita ſuſtineri poſsit: honeſtam probaui, quòd primo illo & puro ſeculo à ſanctiſsimis patribus vſurpata fuit, ipſiusq; adeò Dei voce mandata: vtilem eſſe demonſtraui, quòd amicitias paret, ad eruditionem deducat, expientiā ſapientiāq; adferat: jucundam eſſe oſtendi, quòd hoc pulcherrimum orbis theatrum cum omni ornatu et elegantia vi-

120

ſendum exbibeat: illuſtrem declaraui, quòd in altiſſimũ gradum dignitatis euehat, ꝑpetuamq; & indelebilem nominis memoriam conſeruet: piam deniq; euici, quia cogitationes et animum noſtrum à rebꝰ humanis ad diuinarum contemplationẽ erigit atq; extollit. Attuli deinde quãto ſpatio illi præcurrant, quantoq; poſt ſe relinquãt, qui in hoc vitæ genere verſati ſunt, eos, quos nunquam Sol extra limites patrios conſpexit, vt vix etiam præillus nomen hominis tueri poſſe videantur: Produxi deniq; in aciem aduerſarios, eorumq; tela coniecta à ceruicibus pegrinationis reieci, vt illis ꝓſtratis laudes peregrinationis clarius eluceſcant. Agite igitur, populares ornatiſſimi, qui omnes veræ laudis virtutisq; ſtudioſi eſtis, exurgite animis, bancq; vitam in pegrinatione poſitã exoſculamini, cum ſit meridiana luce clarius, quot vberrimi & ſalutares fructus in omnes partes vitæ ex ea redundent. Adſapiẽtiã qua nihil optabilius, monſtrat peregrinatio. Ad doctrinam qua nihil diuinius facẽ præfert. Ad amicitiam qua nihil dulcius manu deducit, & ad bonam famam qua nihil præſtabilius fores patefacit. Quæ cum ita ſint, ut cuiq; bona fama, amicitia, doctrina, ſapientia, cordi eſt: ita maximè ſibi peregrinationis ſtudium commendatum habeat, tantoq; ſe cæteris ante ire exiſtimet, quãto longiꝰ latiusq; mores vrbesq; exterarum gentium perſpiciendo et perluſtrando in peregrinatione proceſſerit.

DIXI.

ECCLOGA ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΗ

IN DISCESSVM,

INCLYTI AC GENEROSI DOMINI, DOMINI MICHAELIS FORGACH LIBERI BARONIS IN GYMES, ex inclyta Academia Vuitebergenſi proficiſcentis Domini ſui clementiſſimi debitæ gratitudinis & obſeruantiæ ergò

Scripta

a

GEORGIO HELT SORANO.

ANNO

1589.

Menſe Februario die 2.

WITEBERGÆ

Typis Zachariæ Cratonis.